

Johann Sleker Daniel Michaelis

## **De Bono Philosophiae Disputatio Publica**

Rostochi[i]: Pedanus, 1613

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729132897>**

Druck Freier  Zugang



F. Leker.  
R. U. phil. 1613.



100  
Academiae  
Rostochiensis

T. O. M. A.

94

DE

BONO PHI-  
LOSOPHIÆ DISPV-  
tatio Publica-

tatio Publica-

*In Inclita Academia Rostoch.*

*Proposita à*

M. IOHANNE SLEKERO

Phys. P. P.

Respondente

DANIELE MICHAELE ANCLA-  
mensi Pom.

In gratiam Clar. Viri

M. STATI BVSCHERI

*Habebitur dissertatio in auditorio magno  
ad diem 20. Octobris horis à 6. matutinis.*

R O S T O C H I

Excudebat Ioachimus Pedanus

ANNO M. DC. XIII.

Viris - Juvenibus  
 PRÆSTANTISSIMIS, DOCTISSIMIS,  
 Ornatissimis.

- |     |                     |   |
|-----|---------------------|---|
| Dn. | HERMANNO MVSMANNO   | Philosophiæ Candidato   |
| Dn. | HENRICO PETRI       |   |
| Dn. | HENRICO HINZIO.     | } Partim S. S. Theologiae<br>& Phil; partim L. L.<br>Studiofis solertissimis. |
| Dn. | HENRICO HAMBRVGGIO. |   |
| Dn. | HENRICO WINICHIO    |   |
| Dn. | NICOLAO LAKEMANNO.  |   |
| Dn. | IOANNI CORDES.      |   |
| Dn. | ADOLPHO HELDT.      |   |
|     | S.                  | P.  |

**U**nicuiq; homini libero licet in re literariâ, & quod non nolit, admittere, & quod nolit repudiare, satis graviter inquit Scaliger. Neq; enim ex omnium rerum domino ac dictatore, intellectu, alienæ mancipium libidinis facere, sapientis esse, quis existimaverit. Verum enimverò animi tamen gratiâ in literis versamur cujus pabulum veritas: quæ cum in profundo sit posita, nec primo salutata limine tenebricoso valde intellectui nostro conspicienda statim prodeat; hinc quæ ab aliis verè dicta sunt, sæpe faciunt, ut nobis ipsis non credamus. Quod cum multis ignominio sum nimis videatur, neq; etiam isti rerum ipsarum cognitionem veram ex rebus ipsis esse cogitent, sed his è longinquo positis, vel planè ex oculis remotis, suo utuntur naso, & scaminarum instar ad primam quamq; promissorum speciem exsiliunt. His nebulam pro lunone venerari, quid mirum, si contingat? Qui quantum fastus in bonorum contemptu ponunt, tantum studij ad investigandam veritatem si collocarent, scripta illorum, quæ miro scribendi pruritu in apricum protrudunt, ut singulare aliquid fuisse videantur, animadversionis non egerent.

Hac pestilenti aura afflatus videtur vester ille, quem nostis: pilum injicere ausus est in illum, quem in tantâ virtutis speculâ imitari, debebat, Ne nimis tamen se circumspiceret, & falso persuasionis modulo metiretur ille, nos providimus: & ecce Disputationem, quam laboranti veritati ceu murum opponere volumus, debuimus. Hæc cum vobis, viri-juvenes præstantissimi, Doctissimi, humanissimi, extra omnem dubitationis aleam sola cordi vel maxime sit, nec v. adversarius hic, credo ignotus: inde vobis hanc deferre strigilem commotus sum. ut æquâ judicij lance rationum momentis perpensis, sententiam hominis alioquin vobis forsitan amicissimi, in veritatis præsidium ac conservationem nobiscum deleatis. Illam, quam vobis dicatam volui benevole aspiatis vultu, mihiq; faveatis, etiam atq; etiam rogo. Valet.

V. V. Studiofissimus Daniel Michael Resp:

DISSERTATIO PRIMA.

*Disputationem laudo; & ingredior cum Statio Buschero: Corollarium meum  
4. produco: Verbis Alex. Aphrod. probó.*

THESIS I.



Urgandæ putandæq; veritati nata est *Disputatio*: Et hinc nomen accepit; similitudine ab hortulanis ducta, apud quos disputare, est corticem discindere ad ulteriora arborum exploranda.

2. Cribrum veritatis & suavissimum animæ cibum vere dixerim idq; Iohannis Pici verbo cum dicunt alij; ego hæreo. Sed certus in eo, Plutarchum etiam nemini magnum fore, cui disputandi forteat exercitatio.

3. Laudo ergo: Sed in re digna, utili, controversa: Et ijs quæ in hoc cognitionis nostræ orbe, excellentia sua intellectum non superant, vel exilitate non derelinquunt.

4. Quis n. te ferat si disputes saltem ut disputes; nullo veritatis bono; nullo Boni proposito sine?

5. Laudo inquam: Sed intelligentiæ viribus dum geritur res, argumentorum quasi collatis signis: procul ab affectuum intemperie, & perulantis lingue conflictu.

6. Absq; his fit; labor utiq; vel ab hoste utilitatem cepisse hanc, ut (Cælij olim dicto) non *solum* me sed *duos* nos esse intelligam in publica humani discursus via.

7. Si mihi animus est, & fuit; cū nō adeo nuper ex Alexandri Aphrodisiensis & mea mente de Philosophia ipsa dicerem sententiam; corollaris ad materiæ hujus conditionem ex vicinia sponte ac familiariter se offerentibus.

8. Bonum opinor, factum; & quod aliorum in iudicia venisse, beneficij loco habeam: quod quorundam censuram mernisse; non mirer: quod præter M. Statio Buscheri expectationem fuisse, id alijs narrantibus facile credam: In animum ejus (ut lenissime dicam) perturbatum, tempore forsit alieno incidisse, pagellæ testantur, quas nescio quo telorum genere instructas, in disputationis campum contra nos produxit.

9. Ego vero ex hoc vngue leonem agnosco; eumq; ablatò dilectissimarum opinionum fetu, mihi (præficine dicam) peritatum: ut malum mihi in mun-

āo paratum fit nisi caveo. Ex eo n. hominum genere hic noster est, qui cum pene supra naturæ conditionem positus artium legibus omnia agere videri velint; finem etiam propter quem agunt, plane in sua potestate esse præsententur: certissimo hercle periculo nostro, si cui non bene velint.

10. Sed de eo quidem Dij viderint. Tu Buschere, quod agis age; & cum hæresin novam, novo, ut Varro dicebat, paxillo suspendas; quid contra Scholasticas (ut tu ais) vel Pædagogici iudicij (Scaligeri verbo) disputationes tuas ego dicere habeam, quibusq; causis tum hæc tum sequentibus aliquot disputationibus, id dicere velim; æqui boniq; consule. Erit n. ut, quod fælicibus obtingere solet, tibi evenire videas: ut nempe quod quærūt, invenient: hoc est ut is hæc quæ mecum cœpisti negotiatio, tibi futura sit *Utilissima*: hæc contra Sectæ tuæ statuta, sine tuo apud me excidisse conqueraris.

11. Ea mihi utilitatis apud te præfatione opus est; cum tibi nihil præter *Vile* dulce ac bonum sit: Cui præstantissimarum rerum commendatio nulla est, nisi quæ ab utilitate: cui Philosophiam sine expressa *utilitatis* mentione definire nefas est. Qui in obsequium utilitatis tuæ naturam ipsam cogere non dubitas; laudemq; tibi & gloriam is quæsitum, publica ejus rei professione quam Philosophorum nemo nec aulus nec sine rubore præ se ferre potuit: Cui prima Scholasticæ functionis auspicia capere visum est, à commiseratione Citharædi illius (vide disp. de sola cogn. th. 1.) qui cum summâ omnium approbatione cantasset, in tanta lucri quam Dionysius excitaverat expectatione; nil tamen præter verba tulit hæc; ὄσον χέρονον εὐφρανεὶς ἄδων, ποσῶτον ἐχαιρεὶς ἐλπίζων. Dij talem huic nostro Buschero avertite pestem. Quis n. dabitur quin illi inæquo posita sint, *anima privati & proprie utilitatis* bono? Qui omnes homines inimicos habere malit, quàm utilitatem propriam vel tantillum posthabere: Qui his solidissimis vivendi & Philosophandi fundamentis subnixus, Peripateticos omnes quasi ex conducto nefandi criminis reos agit: indignissima quæq; exprobrat: & pro hujus instituti sui ratione omnia in omnes sibi licere putat; ponere, tollere, radere, torquere, vertere; prout rei suæ commodum est.

12. Exemplum, nisi fallor, pulchrum; certe quidem planura habemus; in corollarijs disput. de Philos. quibus ob id primo etiam loco manum admoveamus, cum vel hinc vel nusquam alibi certo cupitæ utilitatis fructu appareat, 1. quæ in his etiam rebus domi suæ Buscherus Rex sit 2. quàm præclare cum utilitatis professione rem ipsam conjunxerit, 3. quàm animose inutilium quæstionum negotiatoribus vitia sua publice exprobrat. 4. quàm fortiter eos retundat; 5. quàm ad res suas ille attentus, sumere sibi quæ ad rem suam sint, cavere à reliquis: Et si quæ alia sunt, quæ utile istud terræ pondus suo sinu premens, eogundem velut Divinæ auræ afflatu ita mentem exagitat meam, ut, quid in his rebus:

rebus mihi sententia: sic jam fuerit in illis, quæ misere oppugnat corolaris: tanto majore voce dicendum existimem, quanto ille audire potis est minus.

*M. SLEK. COR: 4.*

Recte Alex. Aphrod. Utilitatem è medio tollit, qui *Vtile* in omnibus rebus quærit.

Recte inquam. Idque ut bonis omnibus approbem; & vel hoc pacto elegantiarum tuarum tristitatem condiam, publica utilitate ductus magni Philosophi ipsa verba ponam.

*Alexandri Aphrod: è lib. 4. natural.  
quest. c. 10.*

*In omni actione, & omni disciplina, utile expetens, nihil volens discere facere quod non est utile, hic interimit. Esse aliquod propter se bonum atq; expetendum: quandoquidem Vtile alterius alicujus gratia fit, cui sit utile.*

2. *Quod v. alicujus alterius gratia fit, ab illo quod expetendum sit, habens esse, habebit etiam ab illo quod sit bonum. Quodcumq; enim utile est, boni alicujus est effectivum v. fitq; idcirco, quia illius est effectivum.*

3. *Sed si propter se bonum expetendum, magis est bonum, quam quod ab alio bonum habet, & utile in omnibus expetens, interimit esse aliquod bonum proprie atq; per se.*

4. *Insuper qui utile solum, bonum dicit & expetendum; interimit esse aliquid utile. Si n. utile, ut boni effectivum, est expetendum: & bonum esse habet ab cuius gratia ipsum fit: nihil autem tale est, iuxta eos quibus Vtile solum expetendum: non erit utile, ablato eo propter quod id, quod sit ab ipso utile habet quod sit expetendum.*

5. *Si n. utile fuerit utile, eò quia utilis alicujus boni est effectivum; erit omne quod ab utili fit, utile: quod eò quia utile est, ad aliud rursus relationem habebit. Ita v. in infinitum progrediemur.*

6. *Semper n. utile quia aliquid facit utili existere: quolibet vero, quod ab utili fit, & ipso existente utili. Hoc v. ita se habente, neq; utile amplius utile manet, non existente ultimo aliquo, Quod per se expetendum & bonum esset, & his que ipsi conferunt, bonitatem præberet.*

7. *Sicut n. non est expetendum quod fit; neq; quod pro ipso utile fit, erit expetendum. Sic a. utilium nullam pro utili aliquo quod expetendum sit haberet: eò quod nullum eorum, que ab ipsis sunt, quod sit expetendum propter se habeat.*

8. *Si itaq; absurdum est, interimere hoc, Esse aliquod bonum: Interimitur a. juxta dicentes, oportere solum in utile incumbere: absurdum quoq; dicere, quod nihil sit utile; absurda utiq; ea opinio fuerit, qua utile in omnibus quærit*



*Athac autem stultitia quidem nobis auxilio sunt ad necessitates & perturbaciones, & casus in vita: Finis erit non perturbari: & nihil perturbatos, actiones aliquas agere, que propriae sint hominum & ingenuorum: Mancipiorum n. est, omnia cum fecerint, ne perturbentur, ocio sese & ludis dare, procul ab actione praetio aliquo ex se digna.*

10. *Vt enim absurdum est Deorum actiones, aut rei ipsius utilis gratia fieri dicere, cum nullo huiusmodi indigeant: sed extra omnem necessitatem passionemq; sint, aut in ocio, aut in ludo finem ipsis ponere: Absurdum pariter & hominibus finem esse dicere, studiosarum actionum, totiusq; vitae, otium ac lusum.*

11. *Etenim si omnes à ceteris alijs animalibus distamus, quia scientiae capaces sensumq; veritatis habeamus; perspicuum, quod & finis nobis erit in actionibus, quae secundum ea fiunt, quae homines sumus. Homines autem maxime sumus quo à ceteris animalibus distamus. Hac autem sunt scientia & veritas: quae neq; in ocio & ludo: neq; in expetendis propter utile, posita sunt.*

### M. SLEK: COROLL: V.

Egregie Amerpachus: Etsi Philosophiae utilitas sit immensa, non tamen hoc ei proprium est & veluti finis, esse utile: aded ut qui ad utilitatem eam referat, incommode faciat, ne dicam, iniquè; & non cum nulla praerarsissimarum artium injuria.

1. *Ecquid haec Buschero meo non visa dicam, an invisa? Ambigo enim; quod neq; hic quicquam reposuerit; & ea tamen alibi verba ponat (inutilium atq; obscurissimarum questionum involucre perstringens) quibus amolliendis hoc nobis amuletum erat.*

2. *Nam & 1. utilem hic imò 2. immense utilem, 3. & plusquam utilem praedicamus 4. Et deniq; supra omnem utilitatis aleam propriae dignitatis praestantia Philosophiam evehimus: Si nempe artificij eam statera quis expendat; & non ad esurientem machinae (ut palchre Scaliger) farinae quadram.*

3. *Esse enim quippiam utilitate majus; quod tamen inutilis rei nomine dignum non sit; sed praestantis & per se expetendae; mox docebit Boni ipsius, Organi item atq; utilitatis ea consideratio, quam publicae utilitatis gratia ad hasce partes vocabimus.*

4. *Rem interim factam habes, si vel Alexandri illa (dis. 1.) audias, vel ad exempla respicias ipsa. Ferrum non auro praestantius est, etsi majoris usus: non molaris lapis gemma; non furoria, pingendi arte, ob eandem causam: Quae verba Amerpachi sunt; ejus inquam, cuius in Corollario illo nomen*

men studiose ingesseram; ut qui heresin tuam, antequam tu natus, egregie confecit, rationibus suo loco dicendis.

5. Nos si audire hęc malis, Arithmetica mihi vide & Geometria; quarum si in omni vitę genere ingentem non vidisti usum, oculis captus es: Si præstantius quicquam in illis & supra hunc usum animadvertisti minus, mente non bene vales, aut ut blande dicam mulier es: quod isthoc experimento, si placet & utile tibi est, domi discas; questione de sexu meliori excitata. Namq; & in hoc genere (quod solatio tibi sit) prudentes videas, quę præstantiam suam ex nescio quibus culinae vitęq; usibus, probatam cupiunt: veris quidem illis, sed quę pileorum calceorumq; necessitates vix attingant: de veris laudibus sexusq; præstantia rarius est, si quod in mentem illis venit.

6. Quam hoc in Philosophia censenda agant, larvata quædam ingenia, sibi ignava, alii maligna (verbo Scal. ex. 250. f. 1) si ignoras Buscherę; vel recte fieri putas; quam tu præstantissimis quibusq; rebus maligne insidieris, & literariam rempub. plane eversam cupias, plene ostendam, ubi de mente tua conspicerit plenius: Interim hæc animi mei quasi pignora habeto, quibus primam hanc dissertationem, utiliter & verè obsequabo.

1. Non inutile est, quod in una parte modum pœnè supra est, ut ad modum deinde ducas. Lips. manud. l. 1. dis. 13.

2. Id in utilitatum studio premendo opus fuit & erit, nisi omnem demum Philosophiam imò præstantissimas quasq; res vilissimis quibusq; (quod Philosophis iam prope accidit) posthaberi velis.

3. Vulgus amicitias utilitate probat: neq; supra hunc censum, imò infra, qui ad hanc normam vocat res omnes.

4. De utilibus & inutilibus judicare nefas esto, nisi qui quid utile sit, sciverit, & se scire probaverit.

5. In plerisq; ita comparatum ut dum incipias, gravia videantur; dum ignores, inutilia: dum noris, facilia & ad quasvis vita commoditates (Solonem testor) apta.

6. Nihil in Universa Philosophia, quod Philosophicum est, homini inutile est: aliqua eorum pars utilissima: maxima, etiam plusquam utilis.

Vice-

7. *Vitendarum fruendarumq; rerum discrimen, imò res ipsas tollit, qui in omnibus utile querit: pudorem deniq; omnem; qui in hoc facto laudem.*

8. *Pro more seculi & moribus faciunt utiliter, qui in aditu primo scientiarum, utilitatis spem faciunt, & opere ostendunt.*

9. *At qui ore nil nisi utilitates crepant, ad rem v. manus habent emortuas, digni sunt quibus praeferantur Epicleti oves, imò urfi.*

10. *Si in duabus Statij Buscheri, quas hactenus vidi, disputationibus inutilium questionum nihil est, nihil earum in toto universo & omnium monachorum somniis hactenus fuisse, nostra est sententia; quam disputatione Solitaria ipsius contemplationi opponenda liquido probabimus.*

## *Dissertatio Secunda.*

*M. BUSCHERI Disputationis de Philosoph. Coroll. 1.*

*Multi modis falsa est assertio Keckermanni, dum Aristotelem primum facit, qui disciplinas systematibus suis disponderet, &c.*

1. *Contra duos eadem opera pugnaturus Hercules iste, inducit Keckerm: Sed quasi in fabulis personam prostackicam. Primo enim aditu paucis agendi copia datur; mox omni fabulâ miser excluditur, tota belli (fabulosi) in me conversa mole.*

2. *Non deseram tamen ego quem commune junxit periculum: sententiamq; nullis patrum suffragijs damnatam, inter veras dum licet, habeo. Licebit autem quoad contrarium Buscherus ostenderit.*

3. *Et tum ab Vtilissimo Domino quæram, quæ tanta hujus questionis utilitas? Cur utiliter eam non tractarit? Vno enim cum verbo dicere posset, quis ille demum ex omni ævo laudem hanc Aristoteli vel præriperet, vel in communionem ejus veniret? Nihil horum agis: scrupulum injicis tantum; forte, ut*

te, ut in eximendo illo occupato Keckermanno, tu mecum o-  
biter confligeres, quid me fiat, parvipendis: nec de publicis  
multum sollicitus; ad quæ mihi vocandus es, hæc utilissimarum  
quæstionum (si negas, cum summo fiet tuarum contem-  
plationum damno) structura; Quid? unde? quibus præcepto-  
ribus, & majorum institutis usus fuerit, tuus ille Neopro-  
lemus? An in nuda aliquando contemplatione versatus? an u-  
tilissimam illam sententiam, primus ipse conceperit? an sobrius,  
vel ebrius illam pepererit? qua obstetricæ, quibus argumentis  
illam eduxerit? qua solennitate tibi eam desponderit? Et hæc  
à te fieri opus est, Priusquam ad decimum veniamus Corolla-  
rium.

COROLL. SECUNDVM M. BUSCH:

M. SLEK. *Philosophiæ naturam qualis hodie est ex primo  
hominis statu æstimare velle, insolens est.*

M. Busch. Mira subtilitas est, negare Philosophiam ex  
primo hominis statu esse æstimandam. Et tamen asserere, eam  
esse naturalem hominis perfectionem: Et per eam hominem  
ad propriæ naturæ vim puritatemq; reduci. Vnde vero de-  
mum naturalis hominis perfectio & humanæ naturæ puritas  
æstimanda, nisi ex statu integritatis?

Responsio.

1. *Philosophema elegans. Quantum intellectu, quantum æstimatione  
valeas, hæc etiam verba tua plenam faciunt æstimandi copiam. Utilitas  
quanta sit, ex similibus hujusce collectionis fructu omnes gustabunt. Dicam  
enim ego; Monarchiam quartam, qualis hodie est, ex eo, qui sub Augu-  
sti ævo fuit Romani imperij statu æstimare velle, insolens est: tum vero  
ineptissimum est, si quis amplitudine (addo enim hanc comparationis par-  
tem à te omisam) regnorum eandem metiri velit. Statim opinor excipiet  
Buscherus: Mira subtilitas est, negare Monarchiam quartam ex eo, qui sub  
Augusti ævo fuit, Romani imperij statu esse æstimandam: Et tamen asserere,  
Imperium Romanum esse quartam Monarchiam; & in illud Danielis qua-  
drare vaticinium. Vnde vero demum ipsa imperij perfectio, & robusta illa  
maturitas æstimanda, nisi ex Augusti ævo?*

B

Vides

2. Vides Buschere, non ovum ovo esse similis; Tu si quos hujus sententiae applausores habere cupis, emendi tibi alibi sunt; apud nos certe reperies nullos. Nimis enim se produnt, non aliqui mirae subtilitatis Spiritus (etsi verbis illos ostentas) sed crassi è vervecum patria, vapores.

3. Sed tamen ita se res habet: Philosophia quaedam veluti bonarum artium republica est.

4. In hac v. subeunda naturales quidam instinctus: dehinc ortus, & per incrementa ad justam quasi aetatis virilis staturam proVectio: mox morbi, inclinatio, & nisi curatio interveniat, mors. Quae aut naturalis, aut violenta. Eaq; vel versione quasi ad materiam primam; vel conversione speciei unius in aliam.

5. Philosophiae post homines natos, eam plane esse rationem facile intelliget, qui manu ducente Lipsio l. i. veterum intueri historiam in tot Philosophorum sectis, inutile non habeat.

6. Ad rempub. redimus, & nostram hanc Romanam: quam etiam ut hodie est, non inter prolapsas, sed veras, easq; primas potissimasq; Rerump. species agnoscimus, & merito praedicamus, statuiq; presenti convenientissimam arbitramur, id est, bonam & perfectam.

7. Et tamen Veteris illius Imperii nobis superesse non umbram, sed magni nominis umbram, est qui eleganter dixit, sunt qui & vere dixisse autumant. Id certum, neq; ex pristina quae fuit, majestate aestimari posse: nec descriptioni ejus, quae hodie est incumbentem Politicum, augustam illam prioris & fortunae & formae ideam sibi ut regulam proponere posse.

8. Hoc est quod de Philosophia, qualis hodie est, vel esse potest, dicere ego velui: Cujus à prima illa sciendi & certitudine & evidentia & praesentia prolapsus est tantus, ut praeter hac, merae nugae sint, quae de repub. Romana & magni nominis umbra dixi.

9. Ut ergo Arist. monitu 4. Polit. c. v. non cogitanda respub. sed facienda est. Fieri autem non possit alia, nisi cui capiendae hominum & aevi conditio non repugnet: Idem de Philosophia hodierna: quae ruinae illius quasi quaedam reparatio, perfecta esse videbitur, & vera; si talis est, quae humanae (ut hodie est) naturae conveniens & conformis, perfectionem affert eam, quae statui presenti debetur.

10. Plene id suo loco dicam; alia etiam mox adijciam, si familiarius aliqua cum Buschero meo contulero prius.

11. Philosophema enim, ut dixi, ejus elegans est; dum & syllogismum construit:

construit ex pluribus terminis, quam pro vocum etiam singularum numero, quibus argumentum absolvitur: Et enunciata mea non recte opponit; & parum scite resolvit.

12. Liceat enim his mihi apud te verbis uti, sine tua injuria. Quod si cum alio tibi res esset, modestiâ præsertim tua, ex Coroll. 3. perspecta; forte malitiam hic tibi objiceret, & imperitiam.

13. Cujus enim quæso indolis est, verba illa mea (Qualis hodie est) suppressere, Cum in illis totius sententiæ vis consistat? Cujus insolentiæ, id, quod insolens est, statim pro nullo habere? Hac enim æquipollent tibi; Philosophiam ex primo statu æstimare velle, insolens est. Et; Philosophia ex primo statu æstimanda non est. Quæ si adhuc fiat sententiæ, age cum tibi apud nos degenti insolens fuerit, ad publicam Academiæ nostræ utilitatem, disputando, opponendo, &c. Quippiam conferre, an æquo animo feres, si nihil te contulisse hujusmodi dicamus? Cumq; insolens tibi sit, disputationes subtilis edere; an plane nullas à te editas mihi largieris?

14. Tum vero si insolens non est, Philosophiæ, qualis hodie est, naturam ex primo hominis statu æstimare: agedum produc nobis aliqua copia, viros doctos, qui ita hætenus facere soliti sunt: quibus imago prime illius Philosophiæ visa est, cui Grammaticam, Logicam & Rhetoricam artes (quæ omnia vobis in præceptis, voce docentis, & libris sunt; menti vel Intellectui in scribantur, id ad essentiæ naturamq; earum quicquam pertinere strenue negatis) conformaverit.

15. Quod si autem vocis (insolens) ambiguitate distineri nolis; & integrum tibi putes, ea vocis uti significatione, qua adversario molestus esse queas magis; age id hic tibi per me liceat, modo bonâ fide respondeas mihi; quale verum illud Evandri 8. Aen: & primæ juvenitæ recordatio Entelli 5. Aen: tibi vedaentur? Annon eo nos etiam animo esse putas, ut optimi maximiq; voti nos reos arbitremur, si ad primam illam etiam Scientiæ humanæ perfectionem aspirare aliquanto possumus? Et tamen ut vel piæ Aenæe judicio procul dubio nimis insolens habitum fuisset, si Evander & Entellus præsentis corporis sui vires ex prima illa juvenia æstimare voluissent; ita & mihi visum est Insolens, Philosophiæ, qualis hodie est, naturam, ex primo hominis statu æstimare velle. Idemq; forte mecum sentient, quibus adolescentis illius Terentiani non provsus vana videbitur querela, Iniquos videlicet in filios patres esse judices, qui illos velint continuo nasci senes, & ex senili jam sua conditione rem juvenilem æstimare pergant.

16. Tu eo prorſus in rem Philoſophicam animo es. Senile illud eſt  
primo hominis ſtatu tibi fingis, & in eam ſpem alios vocas, cum juvenis ſis;  
neq; earum quicquam reiſta præſtas: neq; illud cogitas, non licere hominens  
eſſe ſape, ita uti vult, ſi res non ſinit.

16. Intelligis opinor quã ſolutam habueris Juſtitie & Veritatis legem,  
in theſi mea, contraria aſſertione oppugnanda. Inſolens quippe dixi; & id  
verum eſt. Tu negaſſe me aiſ; quod verum non eſt: Vtilitatis Philoſophicæ  
argumentum inde capi non poſſe, ego dixeram. Idq; cum ad rem noſtram  
poſitum faceret, tu nimis politicè diſſimilandum putaviſti. Quid autem, ſi hoſteus  
quem fingis, non eo quo honeſte debebas, pugna genere aggreſſus ſis? Ejuſ rei  
indiciam exit Syllogiſmus, quem ex tuiſ verbis adornare viſum eſt, ut reſpon-  
ſionis fides ſit integrior.

Naturalis hominis perfectio (Et puritas humane nature) aſtimanda  
eſt ex ſtatu integritatis. Philoſophia eſt naturalis hominis perfectio (& ad  
puritatem hanc reducit) Ergo.

Hic ego 1. terminorum ambiguitatem explico. 2. aſſertiones tanquam  
fundamenta pono, 3. argumento tuo reſpondeo. Omnia brevibus aphoriſmũ;  
quibus velut de novo rem ingredior.

1. Philoſophicæ nomine vel intelligis ipſam illam rerum cognitionem ſimpli-  
citer; vel cognitionem doctrina, & inſtitutione, luſta quadam (ut Boethius loquitur)  
intelligentiæ acquiſitam, & habitu formatam.
2. Perfectio alia eſt, qua aliquid perfectum dicitur & in ſe bonum: alia qua  
perfectivum dicitur & bonum alteri. Vide diſp. Bono.
3. Perfectio hominis; puritas item, alia eſt in primo modo dicendi per ſe; alia  
in ſecundo. Seu alia eſſentialis, quam pueri & ruſtici eandem obtinent & obtinuerunt  
cum heroibus & doctiſſimis quibuſq; viris: alia accidentalis, qua unusquiſq; ſe-  
ipſo quotidie poteſt & debebat evadere melior.
4. Perfectio hominis & puritas, utroq; modo ſumpta, alia in ſtatu integritatis,  
alia poſt lapſum: Alia in ſpiritualibus, alia (ut ita loquamur) in civilibus.
5. Statum dico, modum illum, quo natura ſe habeat tum in ſe, tum in pro-  
prietatibus & actionibus ſuis; diſtinctè tamen in Theologicis ac Philoſophicis.
6. Puritas illa, res poſitiva eſt; ſed innotescit per negationem oppoſiti.
7. Puritas ſtatus, & ipſe ſtatus purus: perfectio item hominis, & ipſa natura  
hominis, res una & eadem eſt, ut illam ex hac aſtimare velle inſolens ſit.
8. Cognitionem rerum, qua hodie eſt, vix magni nominis umbram eſſe, cre-  
damus Theologis.
9. Cui habitum acquiſitorum ratio & cauſa perſpecta eſt: Et Philoſophiam  
noſtram.

nostratem habitu recte definiti, persuasum sit; is Philosophiam in primo hominis statu non quaesiverit: multo minus si quis Ramea Philosophiae sceletro Organicae Disciplinæ infarciat: Et cum Buschero definiat Doctrinam artium liberalium ordinate comprahensam utilem ad vitam humanam sapientius Et tranquillius agendam.

10. Magnam humanæ sapientiæ imperfectionem agnoscere; Et sollicite (cum Buschero) cavere ne nomen hodiernæ cognitioni cum priore ille reliquatur idem: Et interim rem ipsam ex illa priori aestimare, velle, magna scilicet prudentia est; Et prorsus talia, quæ omnem εἰς ἄλλοθεν ἔμετετασται facile superet.

11. Quid fiet de Ethicis, Politicis, Oeconomicis Questionibus? Et quæ ipsam hanc quæ hodie est, corporis, affectuum, animæq; naturam concernunt Et ex ea ipsa iudicandæ sunt?

12. Ecquid in sanitate hominis curanda medicum eadem opera huc alegantibus? Nihil enim minus causa est, quod alibi cum alijs tibi diligentius inculcabo: nunc ad argumentum respondeo: Et in propositione noto primum quod Thesi 7. iam dictum est: deinde simpliciter nego, si de perfectione loquaris in primo modo: nempe quoad essentiam ipsam Et facultates, quæ eadem hodie; nec aestimanda nisi ex ipsa hominis creatione, vel anima corporisq; unione. Tum vero Et minor falsa erit, utpote quæ perfectionem concernit accidentalem Et perfectivam, secundum eam naturæ, quæ hodie est, conditionem.

13. Est enim Philosophia habitus quæ potentia viresq; hominis ab integritate Et perfectione sua prolapsa, in rebus non Spiritualibus quoad debitam hominis quæ homo est cognoscendi agendiq; rationem persciuntur.

14. Et hic erat Themistij meusq; sensus: quem si ad majorem applices propositionem, (idq; fieri opus est) jam erit ea falsa: quod cum ex his modo dictis, tum ex Theologorum de aestimanda justitia originali dissertationibus, qui velint, facile colligat; Vno verbo, Buschre, Philosophiam nostratam ubi nulla fuit, tu inde aestimare non potes.

### AD COROLL. TERTIUM.

M. SLEK. Non multum in Ramo profecit, qui, quæ usi conjunctæ sunt disciplinæ, eas propterea ipsas non separatas putes.

M. Busch. Nemo Rameorum tam absurdus est, qui ita putet: impudens vero Ramomastix, qui per calumniam id illis affingere non veretur.

### RESPONSIO.

Verba ex te audio, non meliora his, quæ iratis solent esse in ore. Cujusmodi nunquid pro feritate apud te sint (largieris enim hoc mihi de tuo) an pro consuetudine; tecum ipse dispicias. Minerva, opinor, tibi non adfuit hæc scribentis.



*genti: Injecisset enim manum homini irato: nisi tu forte talis sis, qui ejus ma-  
 nita aspernetur: quod non spero. Quin ergo adfuisse tibi credam; & invitum per-  
 misisse, ut & hic majorem utilitatis quàm honestatis rationem haberes. Quid enim  
 utilius, quàm virus & venenum omne, si quod circa pectus, quovis modo expuere?  
 Alius forte nescio quo casu nudæ & inutiles (de calumnia nempo & impudantia) con-  
 templationi te hic immersum arbitretur, quo ipso modestia te Philosophica de-  
 reliquerit. Quicquid sit; nec praxis tua hic bona est; contemplatio etiam nulla,  
 vel ita tenuis, ut nostrum aliquis eam videre non possit. Ea, ne quis ambigat, talis est.  
 Qui ait, Rameos disciplinas usu conjunctas, propterea etiam non ipsas statuere se-  
 paratas, is impudenter & per calumnias hoc illis assingit, & est Ramomastix. At  
 is qui ait, Non multum in Ramo profecisse, qui quæ usu &c. Ergo is impudens  
 Ramomastix; & Rameis per calumniam assingit. Buschere, quoties Ramus Ari-  
 stoteli & sectatoribus ejus tale quid exprobraverit, ignorare non potes. Si toties  
 ei hujusce collectionis rorem aspergere ex myrothecio tuo pulchrum nobis sit,  
 quæ pulchre succis & inunctis esset ille tibi cõpletendus? Sed neq; ego Aristoteles sum,  
 neq; tu opinor Ramus. Quod tamẽ te hoc loco velle, si verba tua ipse attendas, sine calu-  
 mnia nobis videbitur. Tibi enim quæ dicta erant (sit enim ita, quia ita voluisti) in  
 in Ramum & Rameos dicta censere nos jubes: ut jam Statio Buschero nemo oblo-  
 qui possit, quin ille Ramomastix habeatur ab omnibus. In virtutibus, & que lau-  
 dis alicujus sunt, non me interpono, si, que tua sunt, illis in solidum ascribas. At hoc  
 tuum factum, ut libere dicam, non tantum non laudo, sed omnibus modis impe-  
 dio, quod ipsum Ramum & Rameos id repudiaturos certo sciam.*

*Ecquid enim Rameus tibi est, & talem eum dicere ausis, qui parum in Ra-  
 mo profecit? ego v. hoc tale existimo, ut illud in te dictum existimare non deberes,  
 multo minus ut illud præ te feras ipse. Quod facis tamen: & argumenta facis  
 te parum digna; & plane ad hanc formam, quam instruo potius, ut monstrum  
 tue collectionis, si improviso objiciatur, non te terreat nimis. Ergo judicij tui facio  
 Propositionem hanc: Parum in Logicis profecisse videtur, qui malas struit conse-  
 quentias.*

*Equidem verissimam illam habeo; & in eâ has latere imò clarere assertiones  
 video. 1. Logica docet bonas consequentias struere. 2. Idemq; faciunt boni Logici.  
 3. Et qui aliter facit, vel nullus, vel malus Logicus est, aut non multum in Logicis  
 versatus. Tu si aliter censeas, fac age, ut mature sciamus. Nunc illud responde,  
 quid de hoc tibi videatur syllogismo. Qui Logicam ad malas ait consequentias  
 instruere homines, & Logicos easdem necesse, is per calumniam id pulcherrime illi  
 discipline & doctissimis viris impudenter assingit. Sed qui dicit, Parum in Logicis  
 esse versatum, qui malas struit consequentias, ille dicit Legicam instruere homines  
 ad malas consequentias &c. Ergo.*

*Non verba hic, quod certe scio, à me requiris Buschere, quibus impudentiam  
 hujus*

hujus assumptionis incessam. Et tamen qua in parte tua illa collectio melior sit, agere tibi ostende, si potes. Poteris autem quando id prius hominibus persuaseris, id nempe vel Ramo vel Rameis ascribendum esse, quod faciunt, non multum in Ramo versati, & bonis legibus imputari debere, quod malorum quorundam moribus committitur. Bona tibi fide confirmo, cum illa, qua exagitas, verba scriberem, in animo mihi fuisse pulchram. Rami sententiam Schol. Rhet. p. 13. nec quisquam nostrum dubitabit, talia à vobis saepe inculcari; etiam tuam, cum opera prærium est nullum; Sicut nec in eo tu parcus es, ut censoria virgula sumptis, ubiq; ad nauseam clamites, O cives cives, querendum est utile primum.

Epictetus sapienter: oves non jactant apud pastorem, quantum quoque die comederint: sed id re testificantur, lacte, lanâ, se tu. Ad hoc exemplum discipulis tuis præire debebas, & quod dicis, agere potius, ut Socratis monitu, te loquentem videremus: adeoq; facere, ut quibus sentiat & videat. Horum in utraq; hac disputatione, quàm nihil feceris imò ne volueris quidem, ad oculum ostendâ in examine disputationis primæ: simulq; demonstrabo, te ab illo confusiois vitio, immunem non esse, à quo per Corollarij hujus tertij columnis vindicare te voluisti. Quo nomine quid meritis sis, ecce tanta mihi de cordato lectore Thesis utriusq; saltem inspiciente fiducia est, ut ab impudente calumnia, cujus me reum agis, liberatum me iri plane existimem.

Illud enim & huic rei satis est: & mihi honestum non est, utile illud in omnibus sectari, si vel cum inimici conjunctum sit incommodo, Tu interim, quam in malis hic verbis jacturam apud me pateris, eam bonis tibi, sicut meritis es, Coroll. 4. compensatam abunde videbis. Quin imò, si quam inieris apud tuos gratiam, quod Rameos & in Ramo non multum versatos, pro ipsâ tute habueris; isthoc etiam nomine volens tibi meritog; gratulabor. Sed, nisi fallor, Dionysios habebis; & eadem cum tuo Cytharada, qui tantopere suæ utilitati inhiabat, præmia

## COROLL: 4.

M. Busch. Modestia excelsio Philosopho digna est, sibi uni Boni cognitionem arrogare, reliquis derogare. Nimirum Ille sapit solus; volitant reliqui velut umbrae.

M. SLEK. Arguta mediufides sententia & digna prorsus, quam ambabus manibus venerabundi excipiamus; si vel nullum inde ad nos redundet emolumentum: quod tamen (si qua fides est, nihil à Buschero nisi utile proponi) multo erit maximum. Pauperis quidem est, numerare pecus. At & in re excelsa etiam que divite copia adsunt, forte non piaculum sit, ad numeros revocare saltem voluisse. Uno ergo pugno, Philosophus noster comprehendit, quod ad quinq; digitos transmississe, in presentia satis sit: 1. Esse quendam Philosophum, quem dicamus Excelsum. 2. Esse Boni aliquam cognitionem, que huic debeatur Philosopho.

3. Quod Hanc sibi optimo jure is arroget, reliquis derogat.

4. Neq; alienum cum esse à virtutibus præctis, cum in hac juris sui vindicatio

*dicatione, iustitiam, veritatemque pre se ferat, & modestiam. §. Vere illum sapientem esse: cui si reliqui comparentur, volitent sicut umbra. Acutior aliquis plurim hic videat: mihi satis sit ostendisse, quàm illa sententia non arguta tantum, sed & verissima sit, & plane talis, quae omnem prioris Corollarij bilem suavitate sua diluat: quamq; in Buschero, hoc est, Ramo additissimo homine possis mirari. Quo enim loco illi Metaphysicæ habeant vel habuerint, nemo ignorat, Et hæc tamen est, quam Arist. κατ' ἐξοχῶν Philosophiam, Primam Philosophiam, principem & dominam reliquarum scientiarum; Plato θεουργὸν καὶ τέλει: Buscherus (neq; enim iniquè comparatum est) excessam Philosophiam; & qui ejus cognitione pollet, Philosophum nominat excelsum. Cujus nos subiectum agnoscimus Eas quatenus Ens: & inter affectiones ejus, malo excluso collocamus Bonum: & hanc boni rationem soli Metaphysico deberi contendimus, quantumvis εἰδησις omnis sit πάντων καλῶν καὶ πικρῶν, i. ani. t. 1. Nimirum regio prorsus in rempub. animo est hæc scientiarum Regina: regnū sibi debere agnoscit, sed pro commo publico. Et hoc est argumentum illud modestie, quam illi tribuit Buscherus, veris mediūsfides laudibus: nisi forte hic verum sit quod ille dicebat, fatuos oracula sumdere; sapientes interpretari. Ecquid enim hoc loco plura videmus nos quam ille pinxit? Num exemplum nobis statuere hic voluit ejus, quod alias ego teneo, Vnam eandemq; rem à natura, arte, & casu fieri posse.*

*In qua questione tui animi perculū age faciā Buschere; nisi nō vis, aut nihil potes. Inutilis ne videatur, & tuo studio indigna, scito ad aurum conscienandum nihil esse post lapidem Philosophicum hac questione presentius: ut in tua Philosophia principem suo jure locum obtinere queat: quæ tanto jam erit plenior quanto major studio Metaphysicæ (Ramistice abjecto fastidio) laudes decantare perrexeris.*

## COROLL. V.

*M. Busch. Rameam Philosophiam per transfennam tantum inspexit, qui rationem Boni, quantum ejus necessarium est, ex ea cognosci non posse existimat.*

*M. SCLEK. Tu v. quando tandem utilis esse incipis, & quod ais, agis? Quas mihi transfennas objicis, dum in clara luce videre cupio, Quid de natura Boni vobis sententia sit? Et in qua Philosophia Ramistica parte id venditetur? Hoc enim est, quo de queritur; quo omnis illa sequentium tuorum thematum sapientia condita est, ut causa hic mihi oriatur non una, quæ de Bono alibi dicta sunt, ad hæc partes vocandi, sed breviter, hoc modo.*

*Dissertatio Tertia de Bono & Philosophia*  
*Inter*

Inter affectiones Entis, ut dixi, Bonum est, eiq. adequatum; ab eo distinctum, sed non realiter: cui aliquid superaddit, sed non absolutum: Relationem autem non appetibilis (Etsi bonum sit quod omnes appetunt) nec finis (etsi finis bonorum sit,) sed utroq. aliquid prius, sine etiam aliquid generalius: Nemp. convenientiam: quam communis hominum de bono est loquentium et cogitantium sensus insinuat.

2. Bonum enim agnoscunt omnes, quod rei conveniens est. Quomodo quidem sit, ut eadem res, pro diversa eorum quibus convenit vel disconvenit, ratione, nunc bona, nunc mala habeatur: Et tum demum appetibilis sit, et ad sui consecutionem moveat, quando convenire putatur.

3. Omne ergo ens quatenus Ens, bonum est: Et quod bonum, etiam ens est, at sicut se habet Ens ad sua inferiora, ita et Bonum ad sua: quod Aristoteli 1. Eth. c. 6. est Bonum ἰσοχῶς dici τῷ ὄντι.

4. Sicut ergo Ens aequivoce dicitur de Ente reali et non Ente, apprehenso per modum Entis: Analogice autem de alijs, substantia inquam et accidente; Et deniq. Ens tale v.g. materiale vel naturale de his inferiorib. univoce: Ita et Bonum de vero v.g. et apparente aequivoce dicitur: de alijs, v.g. honesto, jucundo, utili; analogice: Et deniq. Bonum tale v.g. morale de virtutibus suis univoce.

5. Magni usus est distinctio Boni in illud, quod in se bonum, et quod bonum alteri. Quamvis nullum alteri bonum esse possit, quod in se bonum non est. Et contra

6. Priori modo Bonum cum perfecto idem est: at posteriori cum perfectivo.

7. Omne enim Ens quatenus Ens Perfectionem quandam obtinet sibi convenientem: haec perfectio est bonitas: quam, etsi positiva sit, per negationem tamen defectus in quolibet Ente, quatenus tale ens est, recte explicamus:

8. Bonum utrumq. de Omni Ente dicitur; etsi primo, quatenus in se tale est.

9. Bonum alteri, vel per seipsum tale est, vel ratione alterius rei, qua hujus quasi ministerio obtineri debet.

10. Per se ipsum iterum dupliciter: Nemp. vel in ordine ad delectationem, quam illi asserre natum est (hinc dicitur Bonum jucundum) vel quia inter utrumq., secundum utriusq. naturae vel Entitatis rationem talis quaedam proportio est, ut unum simpliciter ex se alterum deceat.

11. Ejusmodi cum in omnibus rebus sese offerant plurima, tum et in homine nimis conspicua sunt, quoad Bonum morale, quod per se bonum, honestum, hominiqu. conveniens, ex se hominem deceat.

12. Tale Bonum, ex tali proportione et convenientia, qua utriq. intercedit, naturam ipsam leni quasi impulsu ad sui desiderium vocat: Cui succedit distamen rationis ad illud bonum appetendum:

13. Neq. refragari voluntas potest, nisi aliunde impedita vel retracta: eo quod

quod pure hæc naturalia sint, ad unum determinati: modo ad sint constitutione  
Physicæ ac morales ad talem convenientiam & constituendam, & ad appetitum eli-  
ciendum requisita.

14. Hæc ergo convenientiæ ratio est; hæc appetitum movendi vis hujus Bo-  
ni, quod dicimus Per se expetendum; hinc finis ille efflorescit, cujus gratia ita  
res est, ut non sit gratia alterius: sive quoad actum ipsum, sive habitum, sive ob-  
jectum. Neg. hujus (de fine) dicti, sensum capies unquam, nisi ex hujus ra-  
tione Boni, per collationem ad bonum utile. Neg. finem hunc ex rebus tolle:  
facilius, quam ipsum illud Bonum.

15. Interim ut DEus omnis Boni bonum est, etiam ejus quod per se & ex se bonum dicitur  
Infiniū omnium finis; etiam eorum, qui fines ultimi salutantur. Verissime quidem sed  
quod à pluribus dici quam intelligi certum est: De te, Buschero, ut quispiam dubitet.  
Coroll. tuam 7. & disput. Scholastica, non permittit: in quibus ita ex isto principia  
(DEum esse omnium rerum finem ultimum) disputas, ut ne per somnium quidem  
de ejus sensu extrema linea suspicari quippiam cepisse videaris. Quod ad Coroll. 7.  
270 rejicio, ut interim tibi copia sit, ostendere publice, quam in isto genere doctus sis.

16. Equidem ad Bonum honestum hic redeo: quod in aliquibus jucundum &  
utile bonum sibi junctum habet, in aliquibus non habet; in aliquibus etiam mo-  
lestias & incommoda. Extra horum omnium aleam posita vis generosa honesti,  
sibi ipsi & vni solidè incumbit, convenientiæ illius, de qua dixi, indole freta; cum  
abstractione ab utili & jucundo, non negativa quidem (Philosophice loquendum  
est) sed præcisiva.

17. Ita nimirum fit, ut sequentem utilitatem non aspernetur, neq; repudiet;  
sed sequentem. In consortium enim dignitatis suæ non admittit: neq; dum eam  
prebet, ridicule jactitat: multo minus, præstantiæ suæ corollas hinc sibi neçtere di-  
cit honestum.

18. Bonum, quod alterius gratia est, utile, dicimus; non ingratum nobis, imò  
dignum quod explicetur; nisi Alexandri verbis dicta jam sint, que properantibus  
sufficiant: & quicquid hic loci est, Philosophia debeat ac contemplationi:  
de qua ita dixeram.

## COROLL. VIII M. SLEK.

Se hominem ignorat, vel Intellectum parum sui conscium habet, & boni  
rationem nunquam vidit, qui in cognitione rerum bonum aliquod homini re-  
positum ignorat.

Non placuit hoc Buschero: & nescio quid inutilium verborum reponit. Ego  
rem ipsam ex hac Boni, quam dedi, ratione, demonstrabo ad oculum: primo ho-  
minem; deinde intellectionem ipsam: tum utriusq; naturam proportionem & con-  
sistentiam; que erit Boni honesti; maximo quidem & jucunditatis & utilitatis com-  
mittit.

mixtu; sed ut horum neutrum præstantiam tamen ejus ingredatur.

1. Homo animal rationale est: (2) Et hoc intellectualem ejus designat essentiam. (3) que ab Intellectu; (4) verà hominis forma: (5) intra cujus essentiam est Intellectualitas. (6) nec in hominis natura eo quicquam excellens, (7) Uti vere homo sit, qui secundum naturam ejus vivit: (8) Et si in primo suo statu, in potentia (nec male) esse dicatur, (9) non in genere Entis, sed intelligibilium formarum, quas recipere debes, (10) Et propriæ operationis, quâ naturam suam exercere debes: (11) qua est ipsa Intellectio; (12) ad quam facultate potentiæ instructus es, (13) imò ne forte quiescat torpeatq. providentis natura simulis excutitur, naturali inquam desiderio sciendi (14) plane ut materia fertur ad formam, tanquã bonum; Et omne imperfectum ad perfectionem, pro essentia modo sibi cognatam.

II. Intellectio autem qua Intellectio, in se bona est; vita item intellectualis, quâ talis: In summo enim perfectissimog. Ente perfectissima Et eminentissima est, nempe DEo, Rebusq. à materiæ secretis, Et in Entium ordine nobilissimis, maxime conveniens est, pro ipsa nimirum illa natura vitæq. Intellectualis ratione: cujus operatio propriissima Et prima, in Intellectione posita, quam homini potissima esse debeat, id demum ex primo hominis statu estimari recte potest; ubi (magis scriptoris verba sunt) unum opus contemplatio; Et vivere vix aliud erat, quàm intelligere.

III. At v. cum Et hodie homo Intellectu præditus: Et facultate intelligendi instructus; non hanc opinor, sed ad usum: usus autem potentiarum omnium, rem cujus sunt, perficere: adeoq. ad hanc rem tacito natura impulsu ducatur, ut naturalis ejus operatio sit, Intellectio; Et contemplari, Quis intelligit, Intellectionem, adeoq. omnem Physicarum, Metaph. Et Math. rerum contemplationem, tum in se (qua v. delicetalis quaedã actio est) tum v. homini ex se, Et per se, bonam, convenientem Et expetendam esse; cum præcisione (non negatione tamen) omnis utilitatis, Et (qualis in Verbi est) directionis ad ulteriorem finem: idq. natura sua, hoc est, quia talis est homo, Et talis contemplatio.

IV. Hoc v. boni honesti est; quod supra utilitatem omnem positum, ipsam rerum perfectionem concernit; imò felicitatem; imò felicitas sit Nature suæ (Zenonis dicto) convenienter vivere, hominem inquam in officio opificem, in officio opificum, (ut Picus Miran.) meditari, Et in contemplandi otio negotiari.

V. Hinc adeo fit, ut Voluntas etiam (facto per naturalem appetitum aliquo velut cognoscendi periculo; Et Intellectus Intellectionisq. perspecta convenientia) scientiam quâ scientia est, non possit non velle, ut maximum optimumq. bonum. Dico qua scientia est, alias enim quatenus cum difficultate, voluptatis atq. utilitatis jam asuetæ jactura conjuncta est, à plerisq. negligi, quis non videt?

VI. convenientia Intellectus cum potentia sua, actu, habitu Et objecto, adeoq. bonum hoc ante omnem Intellectus operationem illis intercedit. Non enim quia talem se esse intelligit, cui potentia intellectualis, intellectio item convenientia; ipsa

intellectus talis est: sed quia talis est, seipsum talem intelligens, recte intelligit, & appetitum innato prosequitur.

VII. Attamen convenientia illa omnis, & ratio boni, in hoc esse Cognitio clarissima resfulget: imo formaliter (ausum dicere) in eo ipso posita est: quam dum appetibilitatis ratio, imo finis sponte sequuntur, tum demum & voluntas (sibi relicta,) mirifice excitabitur; non tanquam in bono suo ( licet & suo partim ) sed tanquam in eo amplectendo, quo intellectus omnis nobilitas, excellentia & perfectio posita sit. Quumvis & hoc velle voluntati conveniens sit, adeoq; bonum; eo quia voluntas est, id est, intellectui conjunctissima.

VIII. Verissimum ergo est quod dixi (disput. de Philos. Th. 25.) Philosophiam habitibus illis (Ethica, Physica &c.) unitis, superaddere respectum quendam ad naturam hominis totius, quatenus homo est, vel respectum Boni humani: ut sit Methodus quaedam felicitatis humane; Et hanc formalem suam rationem, cum singulis partibus, imo partium partibus communicat: Ut nempe Physica mentem nostram perficiat contemplatione corporis naturalis: Ethica, perturbationum ad virtutis normam compositione &c. Adeoq; omnis habitus homini per se conveniens qua homo est, vel hodierno saltem in statu est, omnisq; contemplatio talis & actio, Philosophiae propria sit, & quae talis non est, eo ipso quia talis non est, à Philosophia repudiatur.

IX. Ita nimirum & Practica Philosophia & praxis, locum suum accipiunt ob parem (licet non secundum idem & ad idem) convenientiam, in eodem Boni nempe boni generis: cum & ipsa Virtus qua Virtus, cum homine qua talis convenientiam habeat, & per se expetenda sit, si vel cum fortunarum omnium, imò vitæ periculo conjuncta videatur.

X. Ipsa enim sibi virtus, Pulcherrima merces, longo supra omnem utilitatis ambitum posita. Quod qui non tantum fatetur (in eo n. felicior virtus, quod negantem, omnes odio dignum habeant) sed etiam intelligit; nihil illi cause est, cur idem de contemplatione in respectu ad Intellectum Theoreticum neget.

XI. Claudio hac egregiâ Pici Mirand. sententia. Exitialis, inquit, & monstrofa perquisitio, aut paucis esse Philosophandum. Quasi rerum causas, nature vias, universi rationem &c. explorata habere, nihil sit prorsus, nisi vel gratiam inde, vel lucrum quis sibi sperare possit. Quin & Philosophi id profiteri prope ausint: vel ipso hoc nomine ostendentes, quàm non sint Philosophi; quibus ipsa Pallas amica non sit, nisi ipsa quasi proflans, male paratum eas in amatoris arculam referat. &c.

FINIS.







Inter affectiones Entis, ut dixi, Bonum est, eiq. adaequatum  
sed non realiter: cui aliquid superaddis, sed non absolutum  
non appetibilis (Etsi bonum sit quod omnes appetunt) nec  
rum sit,) sed utroq. aliquid prius, sine etiam aliquid genera  
nientiam: quam communis hominum de bono & loquentium  
sus insinuat.

2. Bonum enim agnoscunt omnes, quod rei convenien  
dem sit, ut eadem res, pro diversa eorum quibus convenit vel  
nunc bona, nunc mala habeatur: Et tum demum appetibi  
secutionem moveat, quando convenire putatur.

3. Omne ergo ens quatenus Ens, bonum est: Et quod bo  
at sicut se habet Ens ad sua inferiora, ita & Bonum ad  
a. Eth. c. 6. est Bonum  $\lambda\alpha\chi\omega\delta\varsigma$  dici τὸ ὄντι.

4. Sicut ergo Ens aequivoce dicitur de Ente reali & n  
per modum Entis: Analogice autem de alijs, substantia inqu  
deniq. Ens tale v.g. materiale vel naturale de his inferioribz  
vero v. g. & apparente aequivoce dicitur: de alijs, v. g. honesti  
logice: Et deniq. Bonum tale v. g. morale de virtutibus suis a

5. Magni usus est distinctio Boni in illud, quod in se bo  
alteri. Quamvis nullum alteri bonum esse possit, quod in se bon

6. Priori modo Bonum cum perfecto idem est: at poster

7. Omne enim Ens quatenus Ens Perfectionem quana  
venientem: haec perfectio est bonitas: quam, etsi positiva sit,  
men defectus in quolibet Ente, quatenus tale ens est, recte

8. Bonum utrumq. de Omni Ente dicitur; etsi primo,  
se est.

9. Bonum alteri, vel per seipsum tale est, vel ratione a  
quasi ministerio obtineri debet.

10. Per se ipsum iterum dupliciter: Nempe vel in ordin  
quam illi afferre natum est (hinc dicitur Bonum jucunda  
utrumq. secundum utriusq. naturam vel Entitatis rationem tal  
est, ut unum simpliciter ex se alterum deceat.

11. Ejusmodi cum in omnibus rebus sese offerant pluri  
mine nimis conspicua sunt, quoad Bonum morale, quod p  
stum, hominibz, conveniens, ex se hominem decet.

12. Tale Bonum, ex tali proportione & convenientia, que  
turam ipsam leni quasi impulsu ad sui desiderium vocat: C  
rationis ad illud bonum appetendum:

13. Neq. refragari voluntas potest, nisi aliunde imp

